

.lxxxvii. DE

CETERIS LEGITIMIS ORATIONIBUS .

Sunt et aliae legitimę orationes . quę sine ulla ammonitio
ne debentur . ut est illa quam dicimus ante inceptionem alicuius
operis . domini auxilium postulantes ac dicentes . Adiutorium
nostrum in nomine domini . qui fecit celum et terram . Et iterum . Respice
in seruos tuos et in opera tua domine usque in finem . nec enim decet
christianum aliquod opus sua presumptione incipere . antequam
studeat dominum in auxilium aduocare . quia ipse dixit . sine me
potestis nichil facere . Humiliter ergo aduocatus . dignatur
nos adiuuare . Sicut de ipso scriptum est . Inuocabit me inquit
et ego exaudiam eum . usque in finem . Sed et cybum non prius sume
re licet . quam inter posita oratione dicatur . Oculi omnium in
te sperant domine . usque benedictione . Et post cybum orare con
uenit . ut domino pro suis donis gratiae referantur . Vt illud in hoc
compleatur psalmistę quo dixit . Edent pauperes et satura
buntur et laudabunt dominum qui requirunt eum . uiuent corda
eorum in seculum seculi .